

ab episcopo reconciliari. Item vidimus a symoniacis ordinatos post peractum penitentiae tempus ecclesiastico more non sacrari, set solummodo per manus episcopi impositionem reconciliari, et id quorundam auctoritas canonum sicut aiunt concedit posse fieri.

16 In Toletano concilio XI^o sic legitur¹: *Vnde si digna symoniacos satisfactio penitentiae tempore invenerit^a, non tantum communioni^b, set et loco et totius ordinis officiis, a quibus separati fuerant, restituendi sunt.* In pluribus aliis canonibus atque decretis has permissorias restitutiones circa symoniacos fieri posse legimus. Quod vero restituitur in eo statu, quem prius habuit atque amisit, iterum statuitur. Habuit itaque symoniacus sacrorum ordinum dignitatem, cui restitui potest per penitentiae^c satisfactionem. Si ergo hec ita fieri licet et veritas ita se habet, dicimus, quia symoniacus benedicendi quoque gratiam accepit et habet, quam aliis ex officio suo conferre potest. Si locus enim sacratus non esset, aliquando eum more debito sacrari necesse esset. Si episcopi ordinem non accepisset episcopus symoniace ordinatus, aliquando eum canonico ritu ordinari oporteret. At quia hec non fiunt nec fieri necesse esse dicunt, concedi oportet, quia hec eis aliquando exhibita^d fuerunt. Id equidem nos perturbat et inde controversia existit, quia hec fieri posse ratio et auctoritas contradicit et item fieri posse permittit.

17 Ad ea que proposuimus respondet fortasse aliquis: Ea inquit auctoritate communicare possumus symoniacis, qua auctoritate licet communicare raptoribus, ebriosis et non continentibus episcopis. Hec enim non sunt opera lucis, set opera tenebrarum. Et *que* sicut ait apostolus Paulus *societas luci ad tenebras*²? Verum quamdiu seu hos seu illos ecclesia Dei tolerat, donec synodalis censura eos canonice discussos iudicet ac deponat, tolerandi sunt ab subditis atque sine periculo exhiberi eis potest obedientia ab subditis. In his que Dei sunt obedientia illis exhiberi potest,

^a) sic! Der Text stimmt hier mit Lanfranks Fassung der Pseudoisidoriana überein (s. S. 253 N. 3) gegenüber der gewöhnlichen Fassung: unde si digna eos satisfactio poenitentiae commendaverit, peracto indictae poenitentiae tempore non tantum communioni, sed et loco . . . restaurandi sunt. Vermutlich liegt ein Homoioteleuton (poenitentiae) vor, das der Redaktor von Lanfranks Version durch das invenerit zu heilen suchte. ^b) communionis ^c) penitentiae ^d) folgt noch einmal hec.

¹) Conc. Tolet. XI c. 9, Pseudoisid. ed. HINSCHIUS p. 410. ²) 2. Cor. 6, 14.